



330. e



Handwritten text from the adjacent page, including numbers and fragments of words:

Pr
bi
di
üb
bi
2/2
3/2
4/2
5/2
6/2
7/2
8/2
9/2
10/2
11/2
12/2
13/2
14/2
15/2
16/2
17/2
18/2
19/2
20/2
21/2
22/2
23/2
24/2
25/2
26/2
27/2
28/2
29/2
30/2
31/2
32/2
33/2
34/2
35/2
36/2
37/2
38/2
39/2
40/2
41/2
42/2
43/2
44/2
45/2
46/2
47/2
48/2
49/2
50/2
51/2
52/2
53/2
54/2
55/2
56/2
57/2
58/2
59/2
60/2
61/2
62/2
63/2
64/2
65/2
66/2
67/2
68/2
69/2
70/2
71/2
72/2
73/2
74/2
75/2
76/2
77/2
78/2
79/2
80/2
81/2
82/2
83/2
84/2
85/2
86/2
87/2
88/2
89/2
90/2
91/2
92/2
93/2
94/2
95/2
96/2
97/2
98/2
99/2
100/2



12

DE METAPHYSICES DIGNITATE
QVAEDAM PRAEFATVS
AD RENVNCIATIONEM
MAGISTRORVM

D. XVII FRBR. A. C. N. MDCCLXXIV
IN AVDITORIO PHILOSOPH.
RITV SOLENNI HABENDAM
RECTOREM ACADEMIAE MAGNIFICVM

ILLVSTRISSIMOS COMITES
VTRIVSQUE REIPVBLICAE PROCERES
GENEROSISSIMOS NOBILISSIMOSQVE
ACADEMIAE CIVES

INVITAT
DECANVS
CHRIST. GOTTLIEB SEYDLITZ P. P.

LIPSIAE
EX OFFICINA LANGENHEMIA

DE METAPHYSICIS DIGNITATE
QUAEDAM PRAELECTIO
AD REINVENTIONEM
MAGISTRI RORVM

D. XVII FEBR. A. C. M. MDCCCLXIV
IN AULICIS THEATRO
RIV. SOBENNI HABENDAM
RECTOREM ACADEMIAE MAGNIFICVM

ILLVSTRISSIMOS COMITES
VTRIVSQVE REIPUBLICAE PRAESES
GENEROSISSIMOS NOBILISSIMOSQVE
ACADEMIAE CIVES


INVITAT
D E C A N V S
CHRIST. GOTTLIEB SEYDLITZ P.

LIPSAE
EX OFFICINA LANGENSIS





Quicumque non contentus opinionum, quibus delectari, regique et impelli videmus hominum animos, varietatem et multiplicem inconstantiam contemplari, causas in primis earum persequitur et inquit, illarum profecto hanc esse naturam intelligit, ut aliarum leuitas et peruerfitas vel parum attendenti deprehendatur facile et animaduertatur, aliarum contra difficilius vel percipiatur vanitas, vel caueantur vitenturque fallaciae et deceptiones. Nam hoc posteriori quidem praesertim genere constat, non vulgus tantum capi hominum, id est, non eos solum, quos nulla artis ingenuae, nulla philosophiae acuit et aduersus errores muniuit cognitio, sed illos quoque saepius teneri ac decipi, quibus inuestigatio veritatis proposita est, et qui omne in indagandis rerum causis studium, omnemque vitam consumunt. Quorum exemplorum tanta est, et tam frequens copia, ut in laudando enumerandoque eorum vno vel altero superuacua susci-



pi opera videatur. Paucissima quippe sunt, quorum interna quaedam necessitas animos hominum ad assensum sui cogat et adigat, quibusque indubiam inesse dicunt certitudinem. Pauca sunt, quae a quolibet suis ipsius sensibus externis percipiuntur. In plerisque contra ea rebus non per nosmet ipsos, sed per alios sapimus et intelligimus, sequenti aliorum partim in narrando testimonia et fidem, vnde est omnis cognitio, quam historicam appellant; partim in discernendo et statuendo auctoritatem et iudicium, in iis utique rebus, quarum vel nullam, vel certe idoneam vereque subtilem nobis cognitionem non esse, conscii sumus. Sic, ut hoc utar, si quis forte artis pictoriae imperitus pictae cuiusdam imaginis pulchritudinem et praestantiam laudantes aliquos audiat, quos et satis elegantes harum rerum existimatores habeat, neque cupidos iudices suspicetur, libenter se illorum de eadem re adiunget laudibus et auctoritati. Sed ut iste, si malos nactus sit pulchritudinis iudices, et ipse fallatur turpiter: sic omnino in caeteris rebus omnibus quicumque usus fuerit auctoribus vel narrationum de rebus gestis aliisque, vel decretorum praeceptorumque de iudicandis rebus aut temerariis, aut minus intelligentibus, aut partium denique studio laborantibus, ipsum quoque similiter opinionum vanitate illudi, necesse est.

Ex quibus clarum esse puto, quid sit, quare a viris, non ingenii acumine solum pollutibus, sed iisdem humanitate literarum etiam, id est, philosophiae doctrina praesertim imbutis, et usu denique vitae multo subactis alienum fere sit istud credulitatis vitium, et quare eos demum nec in assentiendo temerarios, et in iudicando, laudando vituperandoque cautissimos reperiamus. Quae prudentissima eorum atque solertissima cum veri internoscendi, tum falsarum opinionum errorisque vitandi ratio deprehenditur partim in ipso iudicio eorum, quae ceteros audiunt statuere de hominum siue rerum virtuti-

bus

bus vel vitiis, honestate et turpitudine, commoditatibus vel incommodis; sed inprimis in perspiciendis indagandisque causis vel ignorantiae aut imperitiae, vel cupiditatis studique, quibus ad laudandum reprehendumque, ad extollendum aut deprimumendum inductos illos intelligunt.

Atque ex his potissimum, quos modo commemoravi, iniquarum opinionum fontibus, quos tamen bene scio praeterea dari multos alios, deriuandam esse puto eam quorundam sententiam, quae tota versatur in accusanda et deprimenda dignissima quidem in se et grauissima Philosophiae parte, sed cui inane et ineptum Metaphysices nomen dederunt. Cuius quidem accusationis vituperationisque, ratione et argumentis diluendae refellendaeque, huic nostrae qualicunque scriptioni hoc tempore propositum est consilium.

Nam quod multi dicunt, talem in vituperando libidinem, aut in sentiendo iudicandoque peruersitatem irridendam potius, et verborum salibus perstringendam, acerbitateque castigandam esse, quam refutandam demonstratione et argumentis, primum omnem eiusmodi disputandi rationem parum probari viris grauibus et doctis arbitror. Deinde ne vim quidem in ista ratione esse aliquam puto, ad vere commendandam legentium audientiumue animis cuiuscunque demum virtutis aut doctrinae dignitatem, et honestatem; licet nostra inprimis aetate permultos esse sciam, qui his dieteriorum facetiis, cauillationumque aculeis inprimis delectentur, in istoque genere praeter caeteris sibi ingenioum videantur. Nos quidem certe solius veritatis studiosi, et ab omni partium studio alieni, expositis ante, quibus isti Metaphysices vituperatores vtuntur, argumentis, deinceps ad examinandam paulo diligentius eorum vim proficiscemur.

Sunt autem, quosque primo loco nominandos esse arbitror, qui in reprehendenda illa, in cuius dignitate et praestantia



stantia defendenda versamur, philosophiae parte, non illam, quae caeterarum artium omnium principia et initia continet, et in qua tanquam fundamento bene iacto reliquum omne nititur aedificium, doctrinam animo complectuntur aut cogitant, sed qui monachorum quorundam barbaram aliquam et ineptam minutiarum farraginem putant, quamque Metaphysicam appellant, hanc quidem sane dignam, quae dudum rideretur explodereturque a viris sapientibus, cuiusque a iusto earum contemtu vindicandae nunquam in me suscepim operam.

Qui hanc Metaphysices non disciplinam, sed inane nomen et vanam speciem illudunt ac deprimunt, in iis nihil habeo, quod ipse reprehendam, praeter illud tam commune vitium, quod in usu vocabuli cernitur. Quoniam enim Metaphysices nomen tribuitur et isti scholasticarum et barbararum nugarum cinno, et praestantissimae philosophiae parti, quae de rebus vniuerse, et de grauissimis praecipit, facile efficitur, vt rerum philosophicarum vel plane non, vel parum periti, verbi ambiguitate decepti, huic etiam tribuant, quae ad demonstrandam istius vanitatem recte disputantur. Quo magis mireris, ex iis adeo ipsis, qui philosophiae subtilitatem profitentur, tamen aliquos ab hac erroris turpitudine non expertes immunesque reperiri. Nam Bettium *) quidem, Philosophum Anglum, ab orationis copia et ornatu satis eum commendabilem, sed qui tamen minus acute mouetur Humio, intellexi, in acerbitate et cupiditate vituperandarum huius opinionum eo delatum prouectumque esse, vt vel ipsa Metaphysices praecepta derideret et quasi per iocum contemneret, vel huius artis scilicet argutiis et spinis assignaret et attribueret, quicquid culpa pertinet proprie ad Humium, Spinosam et Hobbesium

*) Beattie's Versuch über die Natur und Unveränderlichkeit der menschlichen Wahrheit, Th. 2. Hptst. 2.

in tuendis commentandisque ipsorum placitis. Eadem fere iudicandi ratione vitur d'Alembertius *). Ita enim de hoc philosophiae genere pronunciat, vir ceterum ingeniosus, doctus et celeberrimus, vt eius studii extirpandi cupidus videatur, cum tamen aliis in locis animum doceat sibi fuisse, non ipsius artis honestissimae et grauissimae laudes obtrectare, sed docendae eius peruersam multorum rationem ridere et carpere.

Atque ex his effici puto, aut aliud idque accommodatius nomen adhibendum esse ab iis, qui quasi iudices de vniuerso hoc philosophiae genere sententiam dicunt, aut certe in eo vel commendando vel vituperando diligenter declarandum esse atque definiendum, ad quam potissimum vocabuli ambigui notionem legentis audientisve animum referri et adfigi velint, et monasticamne, maximam partem ludicram istam ac barbaram quaestionum quarundam metaphysicarum congeriem, an summae et praestantissimae cognitionis et sapientiae fontem cupiant intelligi. Parua quidem haec fortasse quibusdam videri possunt, sed iis, credo, tantum, qui minus cogitant, quantam vim et quantum pondus habeat magnorum virorum auctoritas ad peruersas in aliis opiniones effingendas, alendas et augendas.

Sed alii sunt, iique vberiores fontes, e quibus deriuidas esse putem Metaphysices dignitati tam infestas multorum sententias. Primus est in auctoritate eorum, qui omne huius disciplinae studium in subtilitate praeceptorum notionumque inuiliium et barbararum vocum, atque rerum tenuitate, et jejunitate, consumi dicunt, vnde etiam fieri, vt, qui in arte hac omnium incertissima et maxime lubrica tractanda et colenda versentur, aeterna sibi bella faciant, nullo rationis arbitrio decretove componenda.

*) Melanges de Litterature etc. T. IV. p. 45.

Quorum non accusamus quidem et arguimus quasi ma-
 litiam, prauumque consilium, aut temere aut cupide iudican-
 tium; sed subtilitatis interpretatione non satis diligenter discre-
 ta et definita, erroris eos locum caeteris dedisse iudicamus.
 Nam quoniam duplex subtilitatis genus est, alterum illud non
 ferendum solum, sed inprimis commendandum, et ad quam-
 cunque artem via et ratione perficiendam perpoliendamque
 vnicè necessarium; alterum vituperandum, ac ne vera quidem
 subtilitas, sed subtilitatis affectatae ineptaeque vitium: clarum esse
 puto, cur viri docti quidam et aequi rerum existimatores de poste-
 riori genere, intelligerent, quicquid Metaphysices non verae,
 sed adulteratae cuiusdam subtilitati, vitio verterent; quia tamen
 ambigui, vnde dignosceretur, iudicii notam nullam, adiece-
 rant, caeteros credo induxisse multos, inprimis gregarios
 homines, vt verbis ipsorum quidem, at nullo facto discrimi-
 ne, adhaerescerent, et, vt solet, auium instar, quae ab aliis
 audiuissent, decantarent.

Verum plenius haec et paulo fusius tractanda videntur.
 Nimirum quod de posteriori metaphysicae subtilitatis genere
 deteriori illo, et vitioso, libenter viris doctis concedi-
 mus, ita tamen temperandum esse contendimus, vt non artis
 haec, sed eorum quorundam, qui eam profitentur, propria
 vituperatio fieri debeat. Quorum in numero reponenda sa-
 ne arbitror non solum ista doctorum, vt vocantur, scholasti-
 corum ingenia horrida pleraque et inculta, sed recentiorum
 etiam quorundam molestam diligentiam et argutam sedulita-
 tem referendam esse fateor, vt fateri necesse est quemlibet,
 quamuis leui rerum philosophicarum notitia tinctum. Vt
 enim vicinum fere est virtuti vitium, ita subtilitatis laus saepe
 confunditur et permiscetur in rerum praestantissimarum et lu-
 dicrarum leuiumque natura. In quo tamen hoc discriminis
 est, vt illarum dignitatem subtilitas adiuuet et perficiat, ha-

rum minutiis nec dignitatem possit, nec usum conciliare. Quare eius vel virtus omnis vel vitium omne circumscribendum est finibus earum rerum, in quibus occupatur. Quis igitur, ut hoc utar, eam Medicinae partem spernat, quae tota versatur in secandis, discernendis inuestigandisque vel minutissimis corporum animalium particulis, iis adeo, quae videntur ipsam oculorum aciem subterfugere? Nam quo quis maior medicus habetur, eo maiori huius subtilitatis peritia praeditus et censetur et reperitur, usque cognoscitur. Aut num Physices aliquis putet esse posse perfectionem aliquam, quae sit sine obseruatione diligenti earum rerum, quas vulgus hominum ne dignas quidem, quas contemplerur, existimat, cum tamen ut quisque ab accuratissima et acerrima horum contemplatione et inquisitione, ad persequendas scrutandasque abditas et latentis causas, regreditur, ita sagacissimus rerum naturalium et intelligentissimus auctor, doctorque, omnium peritorum iudicio celebretur? Iam dicendi artem si quis contendat nulla subtilitate praeceptorum contineri, is iudicandus est de angustia et vilitate suae facultatis fateri, non obrectare et eleuare summorum oratorum laudes, aut conuincere maximorum rhetorum, tanquam Aristotelis, Ciceronis, Quintilianii copiosissimos et infinita paene praeceptorum distinctione et multitudine refertissimos libros. Grammaticorum denique diligentiam et curam, quis nescit, non tantum in rebus magnis et grauibz acti et intendi, sed in consectanda quoque minutissimorum et leuissimorum exilitate consumi, eosque semper habitos fuisse absolutissimos literatissimosque Criticos, qui praeter argumenti dignitatem, et orationis virtutes, singularum, non dicam vocularum, sed syllabarum rationem persequerentur, et ne a librariorum quidem mendis peccatisque artem suam cohiberent. Nimirum tuetur et commendat harum artium sua se subtilitas, vtilitatis et commodorum ratione ac magnitu-

gnitudine, ipsaque materiae, in qua occupantur, natura, satis certam eis defensionem parat. At quae tandem spes ad vitae commoditatem suauitatemque potest esse proposita a scholasticorum quorundam barbarie? Quid, quaeso, profuerint quidditatum, haecceitarum, etc. monstra? Quid portentosa quaestionum: quot angelorum millia in acis apice commode saltare queant? Num materia sit pura potentia? An formae elementorum manean in mixto? Finis moueatne entitate sua reali, an intentionali? Hae sane non sunt philosophorum subtilitates, sed profecto delirantium somnia; simulque cognoscitur, quanta sit vicinitas subtilitatis, quae est in rebus, cum ipsa ingeniorum natura. Quantum tamen afferre potuissent literis, et praesertim verae atque dignioris Metaphysices studio, splendorem, praeclara et acuta sane quorundam doctorum scholasticorum ingenia, si operam atque industriam suam in tractandis argumentis, et subtilibus et raris granibus, vsuque praestantibus, impendere voluissent? In quibus eo magis mirum videri debet, cum pollerent tali ingenii acumine, tantis tamen mentis obcoecari tenebris, et tam male acres studiososque esse potuisse in obscuranda potius, et penitus extinguenda veritatis luce, quam tamen literis inferre se, et inprimis doctrinae Metaphysices, temere licet, opinabantur. Sed bene agitur, statque causa Metaphysices, seque sustentat ingeniiis elegantibus vereque subtilibus summorum virorum, Aristotelis, Ciceronis, Lockii, Clarkeii, et aliorum, nam viventium adhuc philosophorum modestiae parcam, qui quaestiones Metaphysicas nobiliores grauissimaque incredibili ingenii acumine, elegancia et perspicuitate sanima, vberime exposuerunt et illustrarunt. Quibus explicatis necessaria aliqua consecutione intelligi puto, senix monendam esse eorum in vituperando temeritatem, et libidinem, qui nullo discrimine facto, solaque vocabuli ambiguitate

tate inducti, in obscuritatis, leuitatis et ieiunitatis suspicionem adducere conantur vniuersam Metaphysices doctrinam, quasi quae occuparetur in rebus mere subtilibus (subtilitatibus dicunt). Qua si liceat vti disceptandarum rerum ratione, cuius quaeſo artis aut doctrinae tanta sit dignitas et praestantia, quam non possis illudendo imminuere et eleuare, et in ludibrium contentumque imperitorum adducere? Sed cum indigna sit philosopho omnis de verbis, vbi de rebus cogitandum est, disceptatio, caueamus, ne quae aliorum peccata reprehendimus, in iisdem offendere ipsi videamur.

Mitius quosdam statuere intelleximus, non omnem quidem subtilitatem, sed nimiam solum, hoc est veritati cognoscendae contrariam in scholis Metaphysicorum vituperandam esse contententes. Recte quidem haec et sapienter videntur dicere, dum iidem, in quo positum sit illud nimium, quibusque finibus circumscriptum sit, ostenderent, eiusque iudicandi et quasi metiendi rationem docerent. Quod dum minus facient, liberam cuiunque relinquent quidlibet sentiendi iudicandique licentiam, et in quibus delitescant aduersarii, impuneque oppugnent et eludant artem omnium honestissimam, calumniae latebras parabunt, neque aliquid omnino, quod firmum ac stabile sit, afferent, quodque possit commode ad componendam finiendamque hanc eruditorum litem adhiberi. Alienum quidem est ab huius scriptionis consilio persequi omnia, quaecunque possunt de hoc argumento vtiliter disputari, ea tamen certe hic nobis attingenda esse intelligo, vnde possit inprimis ista subtilitatis nimiae vituperatio perspicui et dilui.

Iam primum omnis ea credatur iudiceturque yana et nimia, siue rerum ipsarum, siue hominum in docendo cogitando subtilitas, quae vniuersae veritati cognoscendae viam praecludit, infinite dubitans illa, diemque negans, quoniam

ipsae tenebrae nulla luce fulgeant. Hanc ipsam sine dubio in Zenone, Pyrrhionis, Megaricis et Academicis Seneca *) carpit, et in Humio aliisque recentioris aetatis philosophis Bertius **). Ac prior quidem de his talibus philosophis ingeniose, *illi non praeferunt lumen, inquit, per quod acies dirigatur ad verum, hi oculos mihi effodiunt.* Nimirum consentiunt omnes, quicumque recte sapiunt, multa dari ita sensibus subiecta externis, et tam clara cuilibet atque manifesta ad percipiendum, ut qui ea esse aut negent, aut dubitent, in delirantium numero habendos esse constet. Cuius praeterea generis reputandae sunt permultae aliae res, quarum vel tenuitas in causa est, vel distantia efficit, ut oculorum sensus, nisi quibus accerrimus est, aut deficiat omnino, aut confundatur certe in contemplando et perturbetur. Quae res etiam efficit, ut rerum opticarum periti de consiciendis instrumentis tam sedulo cogitarent, quibus hebes oculorum natura in considerandis non minus subtilissimis, quam remotissimis corporibus adiuuaretur, et quorum ope partim tenuiorum exiguitas exilitasque quasi auferretur ampliorque fieret, partim remotiorum longinquitas admoueretur. Qua opera excellentium in eo genere virorum licet mirifice adiuta sit rerum naturalium minutissimarum quoque longeque distantium contemplandarum cupiditas, nemo tamen harum rerum non peritissimus ingenue fatetur, qui muscas in luna, qui corporum initia, plantarum animaliumque generationem, et atomorum figuram oculis cernere ipsis cupiant, idem facere, quod hi solent, qui inuita natura conantur molianturque irrita. Neque dissimilis est ratio earum quoque rerum, quae interno, quem dicunt, sensu percipiendae sunt. Quo referas rerum plurimas affectiones, relationes, spirituum naturam et facultates.

*) epp. 88.

**) loc. cit.

facultates, veritatis falsitatisque signa, et quae sunt eius generis reliqua. Quorum alia tam insignes ad sentiendum percipiendumque notas habent, vt, an sint, qua natura sint, ne ex multitudine quidem alicui obscurum esse possit. Aliorum indoles minus clara atque perspicua est, quibus diiudicandis leuiter tantum vestigia inpressa sunt, quorumve subtilitas acutissimis demum patet ingeniis. Plurima denique reperiuntur ab intelligentia humana longissime remota, tantisque tenebris obvoluta, vt peruidere ea ne possit quidem acerrima ingenii acies, vtque, si quis penetrare per istas tenebras temere audeat, cum rem inuenisse et tenere se putet, inani simulacro et vana specie decipiatur et illudatur. Atque ex hoc fonte tanquam vberimo plurima opinionum commenta dimanasse, memoria rerum philosophicarum facile quemlibet doceat. In his autem talibus rebus inuestigandis quae occupatur, non interpretemur inanem industriam, maleque sedulam, non iudicemus superuacuum operam omnique fructu carentem? Nam voluptatis quidem, qua sibi animum in contemplando eo genere perfundi dicunt, et delectationis excusatione, quod quidam vtuntur, ob eamque causam rei honestae et humanissimae fati acerbam et importunam vituperationem conqueruntur, nos quidem lubenter largimur, suae quemuis cum comparandae iucunditatis, tum aestimandae arbitrum esse posse. Neque illud inficiamur, non carere omni suauitatis sensu quaestiones et cogitationes de aeternitate, immensitate ac interna Dei natura, de rerum creatione, de causis motus, de origine animae, eiusque post hanc vitam conditione, de illius cum corpore contagione, de rerum causis et ortu, quaeque sunt eiusmodi plura. Hos tamen minime ferendos putamus, si qui forte gustum suae suauitatis tanquam communem aliquam veritatis notam inducere, et, quae sibi quidem arrideant, opinionum ancipitem et omnium incertissimam rationem, atque coniecturam

Eturam, quasi quaedam diuini inuenta ingenii, et certissima decreta iactare, aliisque obtrudere conentur.

Praeter haec, quae diximus, concedent omnes, vanae et nimiae subtilitatis aliud hoc etiam genus esse, quod in inuestigandis rebus per se paruis ac leuibus positum est. In quo supra iam ostendimus inprimis peccasse omnem fere doctorem scholasticorum, Aristotelicaeque familiae misere curiosam laboriosamque turbam. Sed quis est, quem fugiat, eiusdem insipidae subtilitatis nec recentiora tempora exemplis carere? Quis est, qui ignoret, nostrae adeo aetati, cuius tamen sapientia tantis praedicatur laudibus, non defuisse Scaligeros suos et Cardanos, inter se magna cum acerbitate disputantes, an haedus tot habeat, quod caper pilos?*) Quae si quis putet nostra aetate, quia cultiora facta sint et ornatiore per disertorum hominum operam, maiori iure occupasse fundos; vt omnis philosophiae, ita inprimis Metaphysices, acerbam sane et iniustam vim, quae inferatur sapientiae studio, conquerentur omnes, quibuscunque verae philosophiae honestas et dignitas cordi est. Si qui sint igitur praeter philosophiae et bonarum artium studiosos, quorum causa haec omnis disputatio suscepta est, qui haec nostra forte legant, quibusque duriora videantur, quaecunque diximus; hi magnopere velim cogitent, quantum interfit, vt ne tenebra iuuenum aetas compulsa in tetricae subtilitatis spinosaeque ieiunitatis dumeta, et impedita, in rerum obscurissimarum tenebras arceatur et depellatur a veritatis luce, veraeque et elegantis sapientiae salubritate, et ne, tempore inutiliter perdito, ventosa ad postremum eruditione tumida auocetur deterreaturque ab ea philosophia, quae praeparare debet animos ad satus accipiendos, eaque mandat animis, et, vt ita dicam, serit, quae adulta fructus yberrimos et ipsis et reipublicae ferant.


Sed

*) Werenfelsius de Logomach. Erud. p. 11.

Sed huic generi, quod postremum commemorauimus, subicienda etiam videtur inepta quorundam de verbis contentio, suscepta tamen, cum de rebus grauissimis disputandum est, aut ipsi certe disputare videri volunt. Atque non negamus quidem, non vtiliter solum, sed saepius etiam necessario de verbis disputationem instituendam esse, veluti quoties in graui aliqua doctrina ab ambigui difficilisue vocabuli notione non diligenter discreta et exposita, par in animo legentis cognoscensae obscuritas timeri potest; eamque rationem tantum abest, ut vituperemus, ut potius in quavis philosophiae parte commendandam censeamus. Istam vero alteram, quam nos e Metaphysicorum scholis eliminandam esse diximus, de vocabulis disceptationem, nulli sapienti et vere erudito viro se vltimo modo probaturam esse arbitramur.

Sed expositis potioribus vanae absurdaeque subtilitatis generibus, iisdemque absterfis a Metaphysicis elegantia, isfacile iam sustinebitur atque retunderetur eorum iniuria, qui ab istius subtilitatis praesidio oppugnare artis dignitatem conantur. Quas tamen partes a nobis ita demum bene admittendi posse intelligimus, si prius naturam et indolem Metaphysicis, quae quidem nobis esse videatur, licet generatim tantum, explanauerimus, et ex vniuersa philosophia, quaenam vindicare sibi tanquam propria, in quibus habitare potissimum et regnare debeat, docuerimus. Nam constat quidem philosophorum in constituenda definiendaque hac eius natura discrepantes esse sententias, quas tamen persequi hoc loco instituti consilium minus patitur. Nobis igitur videtur non recedendum esse ab eorum ratione, qui ab hac disciplina vocabulorum barbarorum, et quaestiuncularum ieiunatum, angustarumque et concisarum colluuiem, nescio quam, repudiant, sed eius dignitatem in colligatione et doctrina eorum, quibus humanae omnis diuinaeque sapientiae initia contineantur, collocant, ce-

terum



rerum de nomine arti imponendo parum solliciti. Hanc autem talem tantamque disciplinam, quis vel rerum philosophicarum adeo imperitus, vel ita temerarius iudex sit, quin cogatur vel intelligere vel fateri; reliquarum quasi semina complecti, et esse velut fontem vberimum, ex quo omnis reliquae cognitionis et prudentiae humanitas liberalitasque deriuetur, seu, uti eleganter Cicero ait, eam sapientiae partem esse, *quae per omnes sapientiae partes manet ac fundatur.* *) Atque sic pulchram decore suo, sic honestam insignemque commodis suis doctrinam et sermonibus indicarunt suis, et animo cogitarunt summi illi viri, qui huius scientiae cognitionem omnium primam principemque iudicarunt, commendarunt, praedicarunt, et, contempta abiecta que ista altera minutiarum tricarumque foeditate deformi, summo studio coluerunt et exornarunt. Sed eius rei ulterius declarandae deinde opportunior erit locus.

Iam in refutanda illorum opinione pergamus, qui iustam eius vituperandae causam in illius subtilitate reperisse sibi videntur.

Multa huic disciplinae inesse subtilia, neque ab ea abesse posse, ex eorum, quae tradit, natura facile intelligitur. Sed subtilitatis necessitatem quo iure aliquis crimen artis, cuiuscunque demum faciat, aut quo argumento contemnendae eius repudiandaeque causam probet? Haec si iusta statuitur in Metaphysicam ratio, vereor, ne Mathesi, Iurisprudentiae, Arti medendi, literis quae adeo elegantioribus omnibus idem discrimen subeundum, eadem fortuna timenda sit. Quarum nulla reperitur, quae non in principiis intuitisque suis ita sit exilis, ita tenuis, ut, quoniam talia abhorret fere multorum nostrorum hominum delicata popularitas, vel potius segnities, aut imperitia, ab earum perfectione et absolute non paucorum studia iam deterreri, videamus. Recte igitur dicitur Atember-

*) Tafcul. Quaest. l. V. cap. 25.

tius *) cuius arti peculiarem quasi suam metaphysicam esse statuit, cuius cognitione carere nullo modo possint, qui velint ab accurata aliqua et exquisita eius intelligentia celebrari, non vero delitescere in turba eorum, quos usus vulgaris et opera, quasi mercenaria solum, triuit et exercuit. Ex quo etiam intelligitur, cur in omni propemodum literarum genere a viris doctis duplex quoque cognitionis genus constitutum sit, quorum alterum in rebus, quales sunt, et sensibus vsurpantur hauriunturque, alterum in illarum causis abditis latentibusque indagandis versetur, quorumque neutrum sit a quoquam solidioris rerum scientiae cupido negligendum. Non ignoro quidem, dari, qui obiiciant, longe aliam esse, quae in Metaphysica reprehendatur, quam quae aliarum philosophiae partium caeterarumque liberalium artium subtilitas probetur et commendetur. Harum enim non solum naturam ita comparatam esse, vt suauitate sua alliciant et delectent omnes, qui earum studio teneantur, verum etiam in rebus publice et priuatim vtilibus versari, vt maxima ex iis vtrinque commoda expectanda sint, ob eumque usum subtilitati earum satis magnum patrocinium et idoneam defensionem paratam esse. At partum contra ea, et paene nullum fructum esse eius, quae metaphysicarum rerum propria est, subtilitatis, et illius quidem vel scholasticis non contaminatae corruptaeque sordibus, quippe quae tota propemodum scholae angustis et vmbra contineatur, vixque in lucem reipublicae vitaeque communis vnquam prodeat, aut ad ciuium iucunditatem commoditatemque propagetur. Quem quidem vt acerrimum in Metaphysices dignitatem impetum fieri existimo, ita omnium acerrime defendendum comprimendumque arbitror.

Ac vt vere dicam, quae sentio, ne serio quidem mihi videntur ista proferri a viris ingenio et eruditione claris, quos nullo pacto verisimile est, arctissimum, quod Metaphysicam cum Theologia, Iurisprudencia naturali, caeterisque ingenuis artibus continet et
copu-

*) Melanges de litterature T. V. p. 221.

copulat, vinculum ignorare posse. Quem enim putes, tanta mentis
 caecitate laborare, vt non videat, et manifesto percipiat, quae in
 Metaphysica de cognitione Dei, an sit, et quemadmodum auctor
 moderatorque huius vniuersi intelligendus et colendus sit: quae
 de anima humana morti non obnoxia: de boni et mali, perfecti
 imperfectique, necessitatis, mundi denique natura etc. praecipian-
 tur, omnes, in quascunque ingenii humani vis incumbere potest,
 grauitate argumenti, rerumque praestantia, disciplinas superare?
 Ab hac igitur sumuntur, vt res exemplis clarior fiat, efficacissima
 tela aduersus improbitatem Christianae religionis veritatem op-
 pugnantium; haec confundit et refutat eorum impudentiam et
 peruerfitatem, qui Theologia naturali abutuntur ad conuellendam
 auctoritatem reuelatae, quam dicimus; haec miraculorum natu-
 ram vniuersam, naturaeque vim ita declarat, vt ad fidem eorum,
 quae in sacris literis commemorantur, non leue momentum adda-
 tur, in iis saltem, qui causae firmamentum ab rationis mentisque
 humanae praesidio quaerunt: vt omittam, quae sunt ex eo gene-
 re longe plurima. Quae cum ita sint, quis iam mihi offeratur oc-
 curratque aduersarius adeo temerarius, adeoque demens, vt con-
 tendat, armis et telis carere posse metaphysicis eum, quem vel
 voluntas hortetur, vel necessitas personae, quam gerit, adigat, ad
 suscipiendam, pro dignitate doctrinae diuinitus reuelatae, contra
 hostium conatus molitionesque propugnationem? Quis est, quem
 fugiat, Theologos summos, ab ingenio non minus, quam doctri-
 na insignes, has vel primas muneris sui partes existimasse, et in
 hac vel vnica omne studium, omnesque neruos contendisse, vt,
 quam Christiani profitentur religionem, ab eorum ingenio male
 acri, et doctrina perniciofa defenderent ac tutarentur, qui,
 quod multa doctrinae reuelatae capita de virtutibus, de sapientia,
 benignitate ac iustitia Dei putarent metaphysicis paucorum,
 vel suis de iisdem rebus placitis, aperte contraria, omnem
 illius diuinitatem euersum infirmatumque iuerunt. Sed hic qui-
 dem deprauatae doctrinae abusus, non vniuersae et verae culpa
 fuit.

fuit. Tum, vt hoc addam, quæ potest esse in omni philosophia grauior doctrina, aut ad actionem vitæ et mores fructuosior, quam diligenter pertractatus ille de cura et prouidentia Dei, quæ omnibus rebus, maximis minimis, præest atque invigilat, et subtiliter explanatus locus? Vanæ sunt omnes istæ orationis suauitate cõditæ, et eloquentiæ floribus conspersæ virtutis commendationes, quibus delicata, nostri inprimis seculi, et effoeminata leuitas atque consuetudo, tantopere delectatur, nisi, quæcunque de vitio, malo, bono, virtute et pietate dicentur, ab illa Metaphysicorum, de Deo rebusque diuinis præceptorum, subtilitate sustententur, adiuentur, corroborentur. Neque hic audiendi sunt, aut valere quidquam debet eorum ratio, qui ne dignos quidem, in quorum refutatione occupemur, existimant eos, qui vel negare, vel dubitare audeant, esse omnium, quæ sint in mundo, ac fiant, summum aliquem moderatorem ac rectorem, a quo vniuersi cura sic gerantur, vt in generibus rerum creatarum eius, cui præcipuam intelligendi vim dedit, potiore rationem habeat, in eoque quos virtutis, probitatis pietatisque studiosos videat, amplectatur, amet, defendat, tueatur, omnique felicitate beatos efficiat: quos vero scelestos et improbos intelligat, iustis, iisque vel præsentibus huius vitæ, vel futuris post mortem, certissimis tamen suppliciiis poenisque, exagitet et persequatur. Nam mihi quidem vel hanc ipsam ob causam, quod in tanta luce tamen sunt, qui caecutiant, non videtur statui posse eius doctrinæ tanta et tam confessa euidentia, quæ sola auctoritate credi debeat, nuda et relicta ab omni demonstrantis probantisque adiumento, licet in manifestis manifestissimam, atque in grauibus grauissimam esse, et exemplis doceri, et rationibus ostendi queat. Vnde etiam factum est, vt philosophorum vel veterum vel recentiorum præstantissimi, in his et talibus quaestionibus vel perspicue declarandis, vel firmiter tuendis stabilendisque, omnibus ingenii viribus niterentur, in iisque rite pertractandis, quicquid possent, studii et operæ consumerent, quippe quas scirent non modo ad cognoscendum præclarissimas, sed etiam ad

religionis veritatem confirmandam, ad aequi, boni, iusti et iniusti principia tutanda quam maxime necessarias. Quorum generum nunc haec exempla posuisse, sufficiat. Quod si Deus in principio ita hoc vniuersum machinatus est, vt eius posthac curationem omnem et administrationem omitteret et deponeret, nonne cum ea sublata omnis iurisdictionis fides et religio vna concideret et euerteretur? Aut si negetur Deus huic mundo praefes et moderator, non infirmabitur legum vis, iuris natura, officii denique omnis necessaria obseruatio? Quid dicam de iis, quae de spirituum natura et attributis in Metaphysica praeclare docentur? Cui enim ignotum est, quantum detrimenti moribus, virtuti et reip. afferat deterrima illa et nefanda materialismi, qui vocatur, pestis atque perniciosa, quae dudum nata, nostris praesertim temporibus multorum acerrimo studio alitur, fouetur, et, quantum in ipsis est, longe lateque profertur et propagatur? Aduersus quam vim depellendam et penitus extirpandam, quae a Metaphysica petuntur promunturque tela, num quis hebetiora, minusque valida iudicabit? Quae si talia reperiuntur quorundam, tamen non sunt omnium, Aut si pauci quidam male et inscite vtuntur Metaphysices copius non artis ipsius infirmitas et imbecillitas accusanda est, omninoque culpa hominum et turpitudine imperitiae aut cupiditatis segreganda est ab honestate rei in se praestantissimae. Deinde simulabo, me concedere, quod tamen vere non concedam, esse obscuram omnem de spiritibus Metaphysices doctrinam, num ex eo causam aliquis probare poterit satis idoneam, quare imminuatur illius dignitas, quae vel sic da reliquarum dotium multitudine satis magna illi remanet, quo possit omnium minime referri et abiici ad minutiarum et nugarum turbam vilem.

Sequuntur ii, et forsitan plurimi, qui labem et propemodum infamiam Metaphysices dignitati adspargere conantur ab dictionis et orationis magistrorum, qui in ea tradendo exercentur, siccitate et ieiunitate. Quos primum velim cogitare, aliam esse

origini

e o

se

se debere, quae scholarum subtilitati, aliam, quae vitae popularitati accommodata et attributa sit, docendi rationem. Illius enim propriae virtutes requiruntur, in docendo scribendoque: acumen, subtilitas peripicuitas, breuitas, et inprimis ordo; tanquam alienam autem a se aspernatur; non loco, non tempore quaesitam et captatam orationis pulchritudinem ac venustatem. Atque in hoc non tantum non vituperandam esse, sed laudandam potius, nisi si forte eam, quam schola docendi dicendique viam et rationem postulat, praeterit. Non adeo quidem barbari sumus, neque sic elegantiam abhorremus omnem, vt tristem et foedam aliquam deformitatem rebus dignissimis ac optimis induendam, horridamque et incultam esse omnem, quae in scholis adhibetur, philosophiae, et inprimis Metaphysicae tradendae, rationem, debere statuamus. Hoc tantum dicimus, indignam contrahi inuidiam; et iniustam concitari labem Metaphysicae per eos, qui orationis aut venustate non fucata, aut dulcedine deliciisque non conditam horrent, eamque, quod non vbique ab omni scholasticorum vitio pura sit, aut esse possit, tanquam rem diram detestantur. Quid? Non in societatem criminis reprehensionisque veniet, istis iudicibus, Iurisprudentiae, Mathematicae, Theologiae, caeterorumque artium in scholis disciplina? At his quidem concedetur frequentis barbariei, etiam in his, vbi licet elegantibus esse, venia; in sola Metaphysica adhaerescat flagitium et conuicium neglectae consuetudinis veteris politae, vbi nulla fuit, id est, in quibus argumentis quaestionibus que ne versata quidem est minus elimata veterum subtilitas? Tum quae possit maior fatuitas fingi, quam quae cupiat hominis dignitatem et excellentiam aestimare vestium splendore, et magnificentia? Iusta haec potius, et merita, in eorum tale peccatum contumelia, et obiurgatio coniciatur, quos, quia ipsis seu sponte natum, seu ab officio aliquo iniunctum est consilium, partem aliquam doctrinae metaphysicae, ex vmbra scholae in vitae lucem transferendi, oportet populares esse disputatores,

et, relicta scholae subtilitatis siccitate, sic seruire orationis in persuadendo vbertati, copiae, ornatui, vt et in demonstrandis rebus ad caprum, et in dicendis ad sensum gustumque pupuli accommodentur. Nam sane negari non potest, quemadmodum plerarumque rerum naturalium necessitati et vtilitati, vel venustas, vel certe dignitas, et honesta quaedam species coniuncta deprehenditur: sic hanc hominibus in prima naturae constitutione iniitiisque adiunctam esse voluptatem, quae delectat nos rerum pulchritudine, et perceptione iucunda. Eaque voluptas funditur et permanat per omnes vitae partes, et in rebus gerendis, dictis, factis, in moribus, vitae cultu, si non magnificentiam et eximium ornatum, saltem elegantiam decoremque cupit et desiderat; quosdam autem, inprimis indoctiores, sic tenet, vel potius deprauat, vt, seiuncta vtilitatis ratione, solum sensum sequantur pulchritudinis, et in rerum vel appetendarum vel fugiendarum iudicio turpiter decipiantur. Atque haec fuit causa, quae moueret summos vel veteres vel recentiores philosophos, qui vellent insignem aliquem, et inprimis cognitu necessarium locum Metaphysices aperire ciuibus, essentque in arte bene dicendi satis versati, vt quae ipsi subtiliter secundam artis praecepta inuenissent et commentati essent, populo copiose diserteque exponerent, et quod quasi nudum minus placeret, splendidius exornatum et comitius vestitum valide commendarent, domique adumbratam, foris expressam imaginem proponerent.

Sed satis haec sint, non quidem vt dignitati rei, sed vt certe huius descriptionis consilio satisfactum putemus. Hoc certe nos consecutos arbitramur, vt intelligant Philosophiae et bonarum artium studiosi, quibus haec omnia scripta sunt, Metaphysicam non vanarum opinionum, non scholasticae barbarici magistram, non artis vocabulorum ieiunam farraginem esse, sed eam, siue disciplinam, siue partem sapientiae, quae contineat omnem philosophiam, itemque fontem omnis diuinae humanaeque cognitionis vberimum. Porro cum talis sit, ipsam quidem facile superiorem esse

esse omni obtreſtantium conatu; quicquid autem contra eius dignitatem intendatur, id omne vel ad magiſtrorum profitentiumque culpam, vel imperitorum temeritatem, vel inuidiae cupiditatiſque calumniam referri oportere.

Quae cum docendo diſputandoque haecenus demonſtrare conati ſimus, laetamur, exemplis nunc etiam probare et confirmare nos poſſe eorum, quorum, dum rite moreque exploraretur, ſic verſatam cum in caeteris artibus liberalibus, tum in Philoſophicis rebus et Metaphyſicis operam affiduitatemque cognouimus, quae non nobis tantum, noſtroque Ordini ſatis ſe probaret, ſed quam liceret etiam ad incendenda reliquorum ſtudia imitandam proponere et commendare. Quorum nunc haec nomina perſcribantur:

EMANVEL FRIDERICVS SCHMIDIUS,

Erneſti-Vallenſ. Schoenburg,

NATHANAEL GODOFREDVS LEKIVS,

Muſcauia-Luſatus.

GODOFREDVS AVGVSTVS ARNDIVS,

Vraſlaueriſis.

DANIEL BENIAMIN SCHEELIVS,

Budiffa-Luſatus.

CAROLVS GOTTLOB ANTON,

Laubanenſis.

IOANNES MICHAEL HESLERVS,

Salfeldenſis.

GOTTLIEB SAMVEL FORBIGERVS,

Lipſienſis.

IOANNES SAMVEL TRAVGOTT GEHLERVS,

Gorlitio-Luſatus.

IOANNES IACOBVS BOETHIVS,

Leubingo-Thuringus.

IOAN-

IOANNES CHRISTIANVS THEOPHILVS
OPITIVS,

Wurzena-Misn.
CHRISTIANVS GOTTLIEB HVND,

Loebania-Lufatus.
CHRISTIANVS GODOFREDVS SCHMIDIVS,
Numburgensis.

CAROLVS ERDMANN BYRSCHERVS,
Camenza-Lufatus,

CHRISTIANVS AVGVSTVS SCHMIDIVS,
Liptensis.

HENRICVS CHRISTIANVS GEHE,
Dresdensis.

IOANNES FRIDERICVS HILSCHERVS,
Franckenberga-Misn.

CAROLVS GOTTLOB FIEDLERVS,
Boernersdorfo-Misn.

Eorum autem sex, qui primi leguntur, digna iam industriae, ornamenta a nostro Ordine tulerunt, eorumque nomina iam Diplomae proposita sunt, iterum tamen cum ceteris renuntiabuntur die XVII. Februarii, quo Philosophiae Artiumque liberalium Magistrorum publice creandorum solemnitas proxime instat. Quam diei solemnitatem ut tu velis, RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICE, nec vos recusatis, ILLUSTRISSIMI COMITES, ACADEMIAE et CIVITATIS reliqui PRINCIPES, COMMILITONES denique generosissimi nobilissimique, praesentes frequentesque ornare et ampliore illustrioremque reddere, cum meis, tum mei Ordinis precibus ac verbis, vehementer rogo.

Pon Ya 1812 a




bis 16. 10. 1812

Sb.







12

METAPHYSICES DIGNITATE

QVAEDAM PRAEFATVS

ENUNCIATIONEM
ISTRORVM

VII FRBR. A. C. N. MDCCLXXIV

DITORIO PHILOSOPH.

RITV SOLENNI HABENDAM

M ACADEMIAE MAGNIFICVM

ILLVSTRISSIMOS COMITES

QSQUE REIPVBLICAE PROCERES

ISSIMOS NOBILISSIMOSQVE

ACADEMIAE CIVES

INVITAT

E C A N V S

GOTTLIEB SEYDLITZ P. P

LIPSIAE

OFFICINA LANGENHEMIA

